

687

CODICES

688

cujus T. III. col. 160. si lubet,
adi.

CCXIX. VI. F. 10

394 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 57. 4. nitide scriptus, titulis omnibus miniatis, olimque pertinens ad *Librariam Capituli Ecclesie Ratisponensis* complectitur: I. D. *Augustini Libros II. Retractionum* praemisso *Capp.* Elencho eodem prorsus, quem praeferunt Editi T. I. *Opp. Paris.* 1689. *Incipit. Liber. Primus. Jam diu est ut facere cogito atque dispono quod nunc adiuuante domino adgredior &c. Finis Operis: alios a me dictos retractare cepissem.* Adcuratio Scriptoris est infra calami elegantiam.

II. fol. 46. p. 2. *Incipit eiusdem epistola ad optatum episcopum.* Initium: *Domno beatissimo et sincera dilectione desiderabili fratri et coepiscopo obtato in domino salutem. Quamuis tuę sanctitatis nullas ad me ipsum datas acceperim litteras &c.* Agit de Origine Animae, et est in *Edit. suprac.* T. II. col. 700. *Epistola CXC.* Integra in *Cod.* Textusque sat castigatus.

III. fol. 52. p. 2. *Incipit eiusdem Sancti Augustini Liber de Diuinatione Demonum.* Initium: *Quodam die in diebus sanctis octauarum cum mane apud me adessent multi laici christiani &c.* Legitur. T. VI. col. 505. correctius. Finis: *quantum dominus adiuuat respondebimus.*

IV. fol. ult. p. 2. *Incipit questio de magis faraonis eiusdem sancti augustini.* *Traetat Augustinus differentiam Potestatis Sanctorum et Magorum in edendis Miraculis in Lib. de divers. Quaestionibus LXXXIII. Quæst. 79. T. VI. col. 69.* Sed ibi verba *Codicis* non inuenio, quamvis sententia concordet. Videtur igitur quispiam mentem tantum *Augustini* adnotare et exponere voluisse in hunc modum: *Non oportet moueri cum magicis artibus miracula fiunt &c.* Lineas 16. non excedit haec Adnotatio.

CCXX. VI. C. 13

Codex membraneus lat. Sec. 139 XI. Folior. 149. f. per duas columnas eleganter scriptus, rubricis distinctus, bonaeque notae comprehendit *S. Augustini Hipponensis Ep. Confessionum Libros XIII.* hoc titulo literis quadratis minio exarato: *Incipiunt Libri Confessionum Aurelii Augustini.* Initium eodem scripturae genere: *Magnus es Domine et laudabilis ualde. Magna uirtus tua &c.* Finis Libri I. *quia et ut sim tu dedisti michi. Explicit Liber Primus Confessionum. Incipit liber Secundus.* Et sic initia, clausulaeque Librorum per totum caractere quadro. Lectio sincera et plerumque cum *Mauriana* edit. *Opp. Augustini T. I. Paris.* 1689. col. 69. conspirans; loco tamen illo vexato L. VIII. c. 3. col. 146. ubi *Mauriana* *Codices Anglicos* secuta habet: *inspirabat populo*